



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 21. Joannes Rusbroechius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.
A.C. 1354.

§. XXI.

Joannes Rusbrœchius.

* Val. vert

Vita c. 2.

c. 4.

c. 6.

c. 8.

Hoc tempore prope Bruxellas in loco, cui nomen * Vallis Viridis, vivebat Joannes Rusbrœchius Sacerdos & Canonicus Regularis, scriptor celeberrimus ex Theologia Mystica, & usu precationis mente conceptæ. Natus anno 1294, cum esset annorum undecim, cœpit operam dare litteris sub Magistro Canonico quodam, cognato suo: sed post annos quatuor circiter, nimirum quinto decimo ætatis anno vix elementa Grammaticæ probe doctus disciplinis humanis nuncium remittere statuit, ut se totum studio sapientiæ divinæ ac virtutis exercitationi dederet. Contectis viginti quatuor annis sacerdotio inauguratus incumbere ad vitam interiorem pergebat, adeo parcus in verbis, ac externam speciem suam tam parum curans, ut apud homines profanos in contemptum veniret.

Jam sexaginta habebat annos; & pios aliquot libros magni æstimatorum publici juris fecerat; quando Vallem Viridem prope Bruxellas in sylva Sognacensi sitam petiit, ubi erat Collegium Canonicorum Regularium. Nuncupatis ibi vôtis

votis solemnibus, post aliquod tempus e-
 lectus est in Priorem. Quo in statu ex-
 cepit adductum per famam suam Gerar-
 dum Grandium Theologum doctissimum,
 Daventriæ incolam, & parentem societa-
 tis seu congregationis Windeshemiensis.
 Cum ex hoc viro cognosceret multos suis
 scriptis offensos se calumniandi ansam
 inde capere, reposuit: Doctor Gerarde
 scito me ne unum quidem verbum in meis
 scriptis posuisse nisi instinctu Spiritus
 Sancti, & in singulari præsentia divinæ
 Triadis.

Quoties se credebat illustratum per
 gratiam, abdebat se in sylvam, & ita com-
 ponebat cuncta opera sua. Interdum
 multas per hebdomades non attingebat
 calamum: quo rursus arrepto, quam-
 vis ea, quæ prius exaraverat, oblitus es-
 set, ejus sermo ita cohærebat, ut si to-
 tum eodem die contexuisset. Linguae
 Latinæ parum gnarus scribebat vulgari
 sua; nempe Flandrica seu Belgica: sed
 omnia posthæc sunt Latine reddita; &
 sic habemus. Viri existimatio fecit, ut
 consulturi eum quam plurimi utrius-
 que sexus homines illustres ac potentes,
 quin etiam Doctores venirent Argentina,
 Basilea, & ex aliis ad Rhenum urbibus.

Clarissimus omnium erat Joannes
 Taulerus Dominicanus Theologiæ Do-
 ctor ab eruditione ac virtute sua inclytus.

Secul. XIV.
 A.C. 1354.

c. 5.

c. II.

Sæcul. VI. Adibat sæpe, quem magnopere colebat,
 A. C. 1354. Rusbroechium, multumque apud eum pro-
 ficiebat in scientia vitæ interioris: ut in
 scriptis ostendit suis. Nam longe qui-
 dem major Theologus, sed in contempla-
 tione inferior Rusbroechio fuit, in qua hic
 ab adolescentia sua, ille non ante quin-
 quagesimum ætatis suæ annum posuit
 operam, & paucis post annis obiit, nimi-
 rum anno 1355.

Spond. 1355

n. 17.

Rayn. n. 38.

§. XXII.

Matthæus Cantacuzenus Imperator.

Rayn. 1353. Joannes Cantacuzenus ad novum Pa-
 n. 22. pam Innocentium VI miserat Fratrem
 Joannem Dominicanum cum litteris;
 per quas ei significabat suum desiderium
 reconciliandi Ecclesias. Papa suo in re-
 sponso illi suadet constantiam in pio pro-
 posito, atque, si hoc exequatur, spon-
 det cuncta subsidia sacra & profana. Po-
 steriora erant, de quibus præcipue age-
 batur: etenim Cantacuzenum graviter
 premebant Turcæ, & adolescens Impera-
 tor Palæologus. Epistola Papæ scripta
 erat 27 Oct. 1353.

Cantac. t. 4.
 s. 34. 35.

Cantacuzenus, si majorem natu fi-
 lium suum Matthæum agnosci Impera-
 torem curaret, se suas aucturum vires ra-
 tus, hac de re Patriarcham Callistum
 consuluit: qui, volebat animum aperire
 suum;

s. 36.